

Ignoravit hic, multa supra intellectum esse, quæ iam indicavimus. Ariolatus est tamen, supra extimam lationem, et extra tempus, esse quædam, quæ vitam sufficientissimam, toto degerent ævo. Sed quæ ea essent, dicere nescivit. Quo vero ad providentiæ timorem, nullus in Aristotele esse potuit, qui providentiam cognovit nullam. At ille summus, quid pavidus hæsit, aut sibi extimuit? Quasi ipsum bonum, sicuti entia omnia de se, bonitate sua, ἀντὶ τῷ εἶναι, ipso sui esse, ut Dionysius solet loqui, produxerit, et de se protulerit? Eodem suo esse, non posset iam producta conservare. Et quasi rebus conservandis, sola sua præsentia, non sufficeret? De quo dixerat.

Χωρητικὸς τῶν πάντων, καὶ σωτήριος τῶν ὄντων.

Capax omnium, et servator entium. Imo vero.

Οὐδὲν ἐστὶν ἐν παντὶ τῷ κόσμῳ, ὃ οὐκ ἐστὶν αὐτὸς.

Nihil est in toto mundo, quod non sit ipse et etiam.

Πάντα γὰρ ἃ ἐστὶ, καὶ οὗτος ἐστὶ.

Omnia enim quæ sunt, et iste est.

Neque timere debuit, ne rerum productione, quasi exinanitus, eum defectum intellectio suppleret. Neque timendum fuit, ne si non intelligeret, minus foret beatus. Quasi bonitas ipsi sua non esset satis, et quasi manca fuisset, ipsa sua perfectio summa. Non cogitavit ergo dum Deum intellectum facit de summo eius folio eum detrahere, et subquartum gradum detrudere. Cum supra intellectum, et vita sit, et essentia, et unitas et unum. Sed iterum hanc rem ipsam discutiamus.

Si Deus intellectus est, et non intelligit, munus suum obire, est impotens: hoc autem nefas. Si ergo intellectus est, intelligit. Dum autem intelligit, vel se ipsum solum intelligit, vel et alia entia. Si dicamus se solum intelligere (quod Aristoteles sui que somniarunt) intellectionem sui ipsius habebit. Et ipse erit id ipsum, quo ipse intelligit. Tria ergo erit, intellectus, intellectione et intelligibile. Quod Peripatus, et concedit, et docet, et contendit. Tria ergo Deus erit, et non unum, et unum erit tria, et Tria unum. Et simplex erit compositum, et compositum erit simplex. Quibus nil absurdus. Præterea si intelligit se ipsum, intelligendo in se convertitur. At cur convertitur? Conversionis huius, quisnam finis? Quid a se ipso quærens in se convertitur? Quidque a se volens? Vel se ipsum volens? Vel aliud a se ipso? Si aliud, ergo in se habet, quod a se ipso, aliud sit? Ergo compositus, ex se ipso, et re alia? Si se ipsum vult, vel assequetur, vel non assequetur. Si non assequetur, et impotens, et frustraneus erit. Si assequetur, iam duplus ipse fuerit, et non unum. An vero in se convertitur, ut solummodo pulchritudinem suam contempletur? Ea contemplatione, ut amplius quid habeat? Seque ipse, se ipso imperfectiorem fateatur? An vero ut ea contemplatione amplius nihil habeat? Frustranea ne igitur erit? Cur item ea motione moveatur, id, quod nullum opus habet? Quodque opere nullo eget? Cur ei opus addunt, quasi accusent quod non agat? Nullum autem opus ei esse, ratio dicat. Quoniam nimirum nihil ei expedit facere, cum ipse et sibi sufficiat, et omnibus. Neque ei, super omnia existenti, ultra se aliud est, vel quærendum, vel optandum. Nam dum est, quod est, et sibi sufficit, et aliis. Cui ob hoc ipsum neque hoc verbum est, competit. Nihil enim eo eget. Et si in sacris legitur. Ego sum, qui sum. Ad captum nostrum, id est dictum, et a secretioribus Theologis, ita est expositum, ut diceret ipsum esse. Ens et non ens. Ens in non ente. Non ens in ente. Ens, non ens; non ens, ens. Supra enim hæc omnia est. Quid etiam, seipsum intelligendo cognoscet? An forte ut dicat: ego sum? At sum, ei tam convenit, quam non sum? Quid ergo ut dicat. Ego sum bonum? Ego sum unum? At bonum, et unum erat, antequam diceret: ego sum. Est enim, postquam unum, postquam bonum. Et si est, non est ante unum, ante bonum. Si vero sine hoc, sum, dicat, bonum, unum, sine dubio se ea esse intelliget. Itaque per esse, sum, sibi asciscet. Si vero non asciscet, sed nudum unum, nudum bonum dicat; intelliget quidem hæc, sed hæc ipsi non aderunt, quia ipse sit id ipsum quod intelligit. Si vero aderunt, necesse est, eam intellectionem boni, unius, ipsum bonum, et ipsum unum esse. Quod si sit, non sui ipsius erit intellectio, sed boni, sed